

*Musurgia Par. 1. Laurentius Beyerlinck in Theatro Vita humana verbo Musica, P. Mendoza in Viridario Lib. 4. cap. 34. Et alii multi; ex quibus non pauca attulimus, atque examinavimus in 2. parte Magiæ Universalis Lib. 6. Syntagm. 2. Et seqq. ex quibus locis libamus obiter, quæ sequuntur.*

*Plutarchus Libello de Musica refert, Timotheum Musicum, quoties libuisset, Phrygio tono modulatum carmen, Alexandri Magni animum ita accendisse, ut efferatus ad arma curreret; Et cum aliter voluisset, mutato tono mentis ferociam suppressisse, emollitumque animum ad epulas traxisse Et convivium. Idem scribit, eundem Alexandrum, cum audivisset Antigenidam carmen tibiâ incipientem, quod vocatur harmatium, adeo inflammatum fuisse, ut simul cum armis exurgens manus injecerit in proximè assidentes.*

*Refert Boëthius in Præfat. Musica, cum adolescens quidam Siculus Taurominitanus, vino madidus, Et meretricio amore irretitus, rivalis domum comburere quæreret, quâ detinebatur scortum, Phrygio modo concitatus; Pythagorâ jubente tibicinam spondeum resonare, pacatum, Et mitiorem redditum, tarditate nimirum modi, Et gravi-*

Ccccc

tate